

1) s. Pastor/Geschichte der Päpste 10, 547f. sowie Segesser/Ludwig Pfyffer IV 174

Vidimierte Kopie. Wohl aus dem Besitz des alt Landammanns von Stadt und Amt Zug, **Beat I.** Zurlauben - AH 140, 40-41

## 16

17[25]<sup>1</sup>, [Abtei] Rheinau

A

SCHREIBEN VON P. AUG[USTIN] ZURLAUBEN AN DEN BENEFIZIAT [DER ST. KONRADSPFRÜNDE, ABBÉ] BEAT JAKOB ANTON ZURLAUBEN, "L.B. DE THURN ET GESTELLENBURG", ZUG

*"Ex longo jam intervallo per postam dedi ultimas, quibus abs Rev.<sup>mo</sup> meo [Abt Gerold II. Zurlauben] jussus, pro debito Scaffusiensi [=Schaffhausen] quantoci[usque?] detergendo, tum prece tum ratione sollicitavi: Sed cùm nihil hactenus responsi datum sit, repeto, Eodem jubente, preces, ut vel modò V.<sup>ra</sup> Dominatio manum det operj, Sin autem, resolutionem statumque rei quamprimùm Scriptotenus aperiat. Taediosum alioquin Foret, toties pulsare Fores, nec exaudirj. Quonam autem exitu subsederit haereditas, ex Jestettensibus litteris [- in Jestetten, einer Kollatur der Abtei Rheinau, amtete damals Beat Karl Anton Wolfgang Wickart als Pfarrer, dieser war ein Sohn von Maria Anna Margaritha Zurlauben, einer Tante des Absenders und des Adressaten; Wickart war der geistliche Vater P. Augustins -] probé cognovi, et miror, quòd ignis discordiarum, quasi obducta solùm cinere sopitus esset, vix ubi discesseram, novo versus aestu evigilârit. Credideram Foedus ex utrâque parte Firmatum nullius etiam temporis injuriâ infirmatum irj, Sed spe delusus meâ experior, quòd unica Matris defunctae Schedula, ceu apta ignibus materies, Suppresas avaritiae Scintillas in plenam discordiae Flammam resuscitârît [gemeint sind die Streitigkeiten, die wegen der Hinterlassenschaft der 1724 verstorbenen Maria Barbara Zurlauben, unter deren Kindern ausgebrochen waren]<sup>2</sup>. Vaticinium hoc menti meae, cùm Tugij agerem, nescio quonam impulsu inerat, effato Vatis Virginej assiduò accurrente: SIC VIVItVr: In paCe aMarItVDo. [Prophet] Jsa[ias] 38[.16f.]. Jmò temperare mihi non poteram, quin tacitâ saepiùs conscientiâ exclamarem: Infelix Familiâ, quin etiam inter pacis oleas discordiarum loliâ succrescunt. De renovatis proin jurgiorum tricis[?]<sup>3</sup> certior factus, exulem è Familiâ nostrâ Fidem, ne Fidus Fidei avolanti desit comos[?]<sup>3</sup> suspirijs comitabar: Mille annis jam peractis, nulla Fides est in pactis,*

*Mel in ore, Fel in corde, Verba lactis, Fraus infactis.*

*Nimirum de Frigido illo meo et tuo<sup>4</sup> amores in odiâ, odia in fraudes conflantur. At licet Familia, intestinis discordijs gravissimè collisa, Funeream prorsus induerit Faciem, ...us<sup>5</sup> tamen Ille, in cujus manu versantur hominum corda, ita partium consilia est moderatus, ut : (quidquid demum sit de laeso Filiorum jure :) et remedium Materno honori apertum, et fores Secuturis ex Forensi judicio damnis, hostiumque plausibus sint occlusae.*

*Quo nomine cum Summas Deo gratias habeo, tum vobis omnibus eximio pectore gratulor. Caeterum Sinon Ille, qui primus haec : (uti ex literis Jestettensibus colligo :) incendia miscuit, nil nisi flammam semper Spirabat, quas Fulmina in me aliosque multoties et aculeatim contorta satis prodebunt; Stare enim nescit avaritiae malum aut quiescere signis aemulum, ubi semel incendium in pectore attigit, omnem properat absumere materiam, nec nisi materiâ deficiente deficit. Sed quid mirum, si ex trifido torre, aut Aetneo [=Aetna] monte, trifidus prorumpat ignis! Scilicet nunquam improbae Spei, quod Datur, satis est, et majora cupimus, quò majora venerunt. Unde Eundem Jpsum, quem V.<sup>ra</sup> D[omi]na[tio] apprimè indigitavit Caesum sui inter nummos impotem, ego **Tantalum** baptizo medijs in undis sitibundum; nec injuriâ, nam sicut Ille hianti semper ore aquis Fugientibus instat, nec satiatur, ita Jste inquietâ prorsus, et tumultuariâ (res loquitur) cupidine vel minimas etiam guttulas ambit, et quasi ipsâ satietate pararet sitim, dum proxima quaeque captare nititur, Fauces non claudit, sed extendit, nec poculo contentus, fluv...<sup>5</sup> sitit, ni fallor, Gangem [=Ganges] auri divitem, cui exhauriendo aviditas tamen promptior quàm fortuna manebit. Hinc factum arbitror, quod centum in suum interesse acuerit oculos, ut, quod in lancibus usuvenit, depressis nostris att...ret<sup>5</sup> suos. Verum in me, ni discesseram, cudebatur Telum. Quidinde? Non curo. Invidiae hic sibilus est, quae veluti excetra quaedam, mox ubi vel primam sibi cutem perstringi Senserit, sine lege ac ratione amarulentum venenum etiam in eos evomit, quae et tutelam et honorem deberet. Scit V.<sup>ra</sup> D[omi]na[tio] Sciunt omnes, nisi velint caecutire, quantum nuper sudavi et alsivi, ut unionem inter paries Sartam tectamque Servarem. Nec ori, nec calamo, nec vigilijs peperci et ubi humana : (Sicut non rarò Facies rerum miseranda erat .) De non Suppetebant remedia, Deo per Sacrificia plusquam quadraginta, quibus exsolvendis adhuc sum occupatus, et preces vim intuli: quo proin juvante id denique evici, ut haereditas nostra non sit versa ad alienos Judices, quorum aliquibus jamjam dentes in praedam (oder ein fetzlin:) cum stridore hiabant[:] ECCE In CaeLo testis, et ConscIVs MeVs. In EXCeLsIs. **Job** 16[.20]. quod omnes aeq...iter<sup>5</sup> in visceribus **Jesu** et ...<sup>6</sup> ...plexus<sup>7</sup> omnium*

unitati et commodo studuerim, et licèt Filiorum ...m<sup>7</sup> ardentius quorundam opinione sim tuitus ad hoc tamen et juris et necessitatis momenta me inclinârunt, cùm et eos in praetensione suâ opprimi, et sorores ex haereditate sudoreque patris [**Beat Jakob II.** Zurlauben, gest. 1717] te extolli viderem: Et tamen ille Jpse conatus labôrque tam impigré impensus lacessit invidiam, Poenamque pro munere<sup>8</sup> sumitur. Sic ludit Mundus, et Psalmistâ Teste mala pro bonis, odiumque pro dilectione rependit. Gaudeo nihilominus, et exosculor divinitatis consilium, omnia suaviter et fortiter disponentis, et quòd olim [Apostolo] **Paulo**, hoc et mihi pro aegide servit: Mihi pro minimo est, ut judicer â vobis, aut ab humano die. 1 Cor. 4 versus<sup>9</sup> Ad Statum fratris ut respondeam, lacrymas libentius darem quàm litteras. Homo planè aversis natus gratijs, quem nec ...[?] exempla stimulare, nec divina judicia amicorumque monita ex duro incarnique pectore gratiam hactenus potuerant extundere. Seduti videtur eius indoles ab ijs ultrâ ...[?], qui cum fortunâ suâ magisq[ue] cum Jpso loqu...[?]. **Proteo** mutabilior arundinum imitatur vento agitatum, qui ad cuiusque Susurromi auram flectitur et ...[?]<sup>10</sup> nititur. Unica Malorum Lerna est animi durities â puero insita. Faciliùs Palladium Trojanum [d.h. das in Troja vom Himmel gefallene Bild der **Athene Pallas**] admittet, et lapsa Ancilia caelo<sup>11</sup>, quàm demissum de supernis sedibus Divinae inspirationis Spiculum. Suaderem, ut â viro probò et prudenti suae caecitatis et periculae moneretur, ni expertus scirem, quòd quò magis corrigitur, eò magis deterioretur, ad contrarium studiosé intentus. Quid agendum? Scio equidem ex : Medicinum aphorismis: Acutis malis, acuta remedia<sup>12</sup>: at in huius emota mente Furorem ampliùs accendent. Agendum igitur, quod periti Solent medici, qui ubi duriora non proficiunt, ad leniora descendunt remedia, et quod Magnus Animarum Medicus [der Kirchenvater] **Augustinus** inculcat: Agendum voto et precibus, si corrigi aliter non possit.<sup>13</sup> Clamemus ad **Mariam** praesentissimum in desperatis rebus remedium cum Angelo: AVE gratiâ pLena BeneDICTatV In MVLIERibVs. [Evangelist] **Luc[as]** 1[.28]. Jn huius sinu respirabit Spiritus bonus, ne vocanti et monenti amplius Deo Resistat, quò et mea sacrificia quotidie collimant. Pro Causulâ praeter salutare jejuniorum Dies appreca omnia fausta. et me totum fraterno pectori immergens persisto ...".

1) Die Datumszeile ist teilweise zerstört. Das Jahr 1725 konnte aufgrund der drei im Text angeführten Chronogramme erschlossen werden.

2) s. Zurlaubiana AH 123/46, das Schreiben von Pater Augustin an seine Geschwister, in welchem er diese zur Einigkeit aufruft

